

dicatio; tam ratione constitutionis suæ essentialis, quam ratione aliarum, in ægro vel in externis, occurrentium circumstantiarum, ad veram morbi cognitionem acquirendam, firmum quoad eventum vel bonum vel malum iudicium formandum, ut & ad curationem morbi rite instituendam, summe & adeo necessaria: ut plerumque *iudicium bonum* ab omnibus rationalibus, peritisque Medicis, pro Praxeos anima habeatur. Omnino vero præsupponit & requirit præter §. IX. jam quoad Scientiam medicam prolata, exactam, (quantum in viribus humanis) perfectam, e fundamentis pathologicis & semioticis, Theoreticam non solum scientiam & morbi disquisitionem, tam quoad interiorem ejus constitutionem, quam quoad typum, periodum, symptomata, causas, signa; vel ad morbi cognitionem, vel ad ejus eventum bonum vel malum dijudicandum pertinentia; ut & quoad reliquas, vel in ægro, vel in rebus externis, circumstantias, nimirum ratione ægri habitus, sexus, ætatis, excretionum, consuetudinis, morborum hæreditariorum &c. vel ratione rerum externarum, anni nimirum, temporis, loci, æris constitutionis &c. obvenientes probeque attendendas. His omnibus rite prius examinatis, debite inter se collatis & perpensis, *tunc demum prudens æque iudicium* de morbo ipso, eventu ejus bono vel malo, ac sollicite curationis dijudicatio ac expeditio succedat. Iterum *his omnibus &c. tunc demum succedat*, dico; siquidem minima evenire potest circumstantia, quæ totum iudicium, totamque medendi methodum immutat: sine horum omnium jam dictorum, vel ad minimum præcipuarum circumstantiarum itaque exacto examine, provida dijudicatione, sine necessariis his requisitis, se neminem bonum, verum & rationalem Medicum præstare posse palam edico; nisi vel ægrum vitæ periculo, aliisve ærumnis, se vero, ni periculo iudicii humani vel divini, solum aliorum ludibrio,

C

dibrio,